

**2000-08-25- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Ioanni Petro Cardinali Schotte'**

LETTERA DEL SANTO PADRE GIOVANNI PAOLO II ALL'INVIATO SPECIALE PER LA  
CONSACRAZIONE A IRKUTSK (RUSSIA) DELLA CHIESA CATTEDRALE DELL'AMMINISTRAZIONE  
APOSTOLICA DELLA SIBERIA ORIENTALE

Venerabili Fratri Nostro IOANNI PETRO S.R.E. CARDINALI SCHOTTE Secretario Generali Synodi  
Episcoporum

Hoc Anno Iubilari universa laetatur christianitas eademque ubique per orbem faustum eventum sollemnioribus  
concelebrat ritibus. Et recte quidem: etenim Deus Filius duobus abhinc milibus annorum operante Spiritu Sancto  
homo est factus de Virgineque Maria Immaculata natus (Tertio millennio adveniente, 26). Hac via, altero ad  
finem vergente millennio, Ecclesia rursus facta est martyrum Ecclesia: nam, qui Christo testimonium reddiderunt  
usque ad sanguinis effusionem, commune habentur patrimonium catholicorum christianorumque omnium (cfr  
ibid., 37). Ipsi recentioris temporis martyres claram ubique terrarum, praesertim vero in Siberia, fecundamque  
exhibent sementem, quae nova gignit christifidelium agmina.

Idcirco magno cum gaudio accepimus invitationem Venerabilis Fratris Georgii Mazur - cui superiore anno  
immensam missionis terram, videlicet Administrationem Apostolicam Siberiae Orientalis Latinorum, fidenter  
commisimus gubernandam - ad sollemnem ritum consecrationis ecclesiae cathedralis in urbe v.d. Irkutsk  
recenter exstructae, atque Deo in honorem Immaculati Cordis Mariae dicatae.

Nos vero, quibusdam difficultatibus detenti, Patrem quendam Purpuratum mittere statuimus qui apud illam  
communitatem, Nobis carissimam, personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster,  
Congregationis Immaculati Cordis Mariae praestantissimum sodalem nec non Apostolicae Sedis tot per annos  
fidelem ministrum, plurimas ob rationes idoneum censemus, cui hanc missionem concedamus. Quapropter his  
Litteris Nostris Missum Extraordinarium te nominamus ad sollemnem ritum consecrationis memoratae ecclesiae  
cathedralis in urbe v.d. Irkutsk, quae persolvetur die VIII proximi mensis Septembris, in festo Nativitatis B.M.V.  
Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis fidelesque ibi praesentes apostolico ardore hortaberis ad  
Christum perseveranter sequendum adque Eius Matrem pie venerandam, sicut his in regionibus mos est ab  
antiquo. Singularem etiam fraternam Nostram salutationem transmittes christianis ecclesiae Orthodoxae  
ceterarumque confessionum, monotheisticarum religionum asseclis aliisque cunctis bonae voluntatis viris ac  
mulieribus.

Te tueatur in missione tua intercessio caelestis Reginae, quae Immaculati Cordis sui futuram vaticinata est  
victoriam totoque in mundo pacem salutarem. Administrationi Apostolicae Siberiae Orientalis Latinorum  
continuum augescensque in dies spirituale optamus emolumentum uberrimosque christianae caritatis fructus.

Benedictionem denique Apostolicam, supernae gratiae auspiciem atque propensae Nostrae voluntatis testem,  
illius Ecclesiae assiduo Administratori Apostolico, cunctis adstantibus Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris et  
mulieribus omnibusque sacrorum rituum participibus nomine Nostro largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS PP. II